DE PARTURIENTIUM DELIRIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET CALENDIS OCTOBRIBUS A. MDCCCLVI.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FELIX BECKER

GUESTPHALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

HERMANN FRASCH, DR. MED. PRACT.

RUDOLPH SCHOLL, MED. DD.

HALIS

FORMIS EXPRESSIT OTTO HENDELIUS.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

PERITISSIMO

CLEMENTI DE OLFERS

PRAESIDI IUDICUM AD QUOS PROVOCARI SOLET

EQUITI ORDIN. AQUILAE RUBR. SEC. CL.

ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS PIO GRATOQUE ANIMO OFFERT

AUCTOR.

Vehementer certe optandum foret, ut medicus casus in artis exercitio occurentes, praesertim notabiliores plenissime consignare atque hoc pacto artis medicae incrementum promovere anniteretur.

Fr. Hoffmann.

L. B. S.

De parturientium delirio scribere mihi proposui, morbo raro, qui et medico praecipue et iudici maximi est momenti, quum interdum simularetur et omnem medici forensis sagacitatem exposceret, cui vera et simulata sunt diiudicanda.

Forte enim fortuna mihi contigit, ut in clinico obstetricio, quod directore A. F. Hohl praeceptore carissimo, hac in urbe floret, parturientem observare possem, quae delirio illo erat affecta. —

Principio igitur omnia, quae ad partum ipsum pertinent, quam accuratissime referam totamque mulieris vitam narrabo. Quae tibi si longiora videntur, memento, ipsis in mentis alienationibus omnia, quae ex vita priore cognoscere possumus, esse respicienda, totam hominis indolem et naturam esse investigandam et considerandam, ne minimis quidem neglectis.

Reliquae et gravidarum et parturientium mentis alienationes paucis modo verbis commemorandae videntur, de quibus medici de arte obstetricia periti iam accuratius et logius disseruerunt.

Denique latinitati indulgeas, quaeso, qua medicinae studiosi raro tantum bene sunt periti et me esse medicum nec grammaticum respicere velis.

Mentis alienationum, quae intra graviditatem et puerperium in feminis observantur, tria praecipua genera distinguuntur, melancholia, mania et parturientium delirium, quorum melancholia praesertim graviditate durante, mania primis in puerperii temporibus, delirium intra partum obvenit. Inter causas, quibus feminarum mens alienatur, praecipue functiones genitales maximi sunt momenti et dignissimae, quae prae ceteris respiciantur. Id quod iam de menstruis recte contenditur, praecipue vero et optimo iure de graviditate et de puerperio; quis enim est, qui nihil de pyromania [1]) puellarum pubertate turbata laborantium audivisset, quis est, qui gravidarum picas [2]) nesciat? Res vero similes, id quod quodammodo mirum videtur, etiam in bestiis observantur, sic narrat *Osiander* [3]), vaccam, quotiescunque gravida fuisset, propensam fuisse, quae lintea et chartam voraret. Etiam cervae

---

[1]) *Friedreich*, System der gerichtl. Psychologie.

[2]) Archiv für medic. Erfahrungen — *Flemming*.

[3]) Handbuch der Entcindungskunst 1819 I. 410.

gravidae libenter chartam edere, et marmotae alpinae gravidae linum et stupam devorare dicuntur. Hoc loco statim aliud quid afferam, quod etiam in bestiis observatam infra potius esset afferendum, et quod a *Wittke* [1]) narratur. Vacca trium annorum vespere primum peperit. Animal usque ad illud tempus nullum feritatis signum ostenderat, attamen quum vitulum videret, protinus ferox redditum, cornubus minitabatur ei, mugibat, salivam egerebat, comae stetere, oculi volvebantur truces et rubefacti et solum catenis vincta bestia domari potuit. Sex per horas feritas illa duravit, paullatim diminuta est et postridie mane nullum eius vestigium reperiri potuit.

Puellarum pyromania, gravidarum picis illisque in bestiis observatis minime aliquid est explicatum, sed etiam illis, quae *Burdach* [2]) hac de re affert, nil demonstratur; dicit enim:

„Die Seelenkraft steht mit der Zeugungskraft im nächsten Verkehr, stimmt also im Begriff mit dieser mehr überein, als mit irgend einer organischen Kraft. Bei beiden ist Idee und Materie eng verknüpft. In der Seele taucht die Idee aus der Materie hervor und in der Zeugung senkt sich die Idee in die Materie ein, dort tritt die lebendige Universität hervor, indem der Gedanke des Ganzen im Individuum erwacht und hier erscheint die leben-

---

[1]) *Henke's* Zeitschrift 1830 I. 233.

[2]) Vom Bau u. Leben d. Gehirns III. B. §. 564.

dige Individualität, indem das Ganze der Gattung durch ein neues Individuum sich verwirklicht.“

Quantum functiones genitales totam in feminarum conditionem valeant, trito illo quoque firmatur: Mulier propter uterum condita est; nec minus verbis poetae nostrae satis notis: Es ist ihr ewig Weh’ und Ach meist tausendfach aus einem Punkte zu curiren.

Attamen his omnibus, ut iam supra monui medico nil explanatur, partim vero morborum illorum psychicorum semper cum parte corporis quadam aegrotante coniunctorum causa eo reperitur, quod utero magis magisque aucto abdominis cavitas et exinde pectoris quoque coercetur, ideoque respiratio et sanguinis circulatio laeditur ac turbatur, quam ob causam in cranii cavo hyperaemia exoritur, quae gravidarum osteophytis, quae dicuntur, certe demonstratur; partim connexum illum inter functiones genitales et affectiones cerebrales explicare non possumus — ut multa alia — nihilominus exstat, nam virorum clarissimorum observatis demonstratur. Magna enim feminarum insanarum in parte morbus a puerperio initium capit, secundum Esquirol in duodecima, secundum Busch in decima quarta, Haslam in vicesima, secundum ea, quae in nosocomio Bedlam Hospital observata sunt octava in parte. — Altera causa gravissima, quae ad mentis alienationem provocandam quam plurimum valet, in animi affectionibus ac commotionibus requiritur, quibus gravidae mulieres tam

saepe perturbantur. Quoties etiam prudentes mulieres gravidae morosae atque impatientes fiunt, auguriis turbidis vexatae, quisque medicus, qui artem exercet obstetriciam, bene sciet. His omnibus conditio quaedam et valetudo exoritur, quae causis primo visu exiguis protinus in mentis alienationem converti potest. Hoc quoque Esquiroli observatis satis firmatur, qui in dimidia omnium casium parte causam, ut ita dicam, psychicam reperiri potuit. [46 in 92.] Maximi denique momenti est dispositio hereditate accepta, qua praecipue prognosis plerumque mala redditur. —

Medici priores minus accurate varia distinxerunt genera, et quamque maniam in puerperio exortam, maniam appellaverunt puerperalem, simili modo ut quamquam febrem in puerperio ortam, febrem puerperalem nominaverunt. Postea falsam hanc esse opinionem cognoverunt et maniam puerperalem discreverunt et maniam in puerperio, praecipue duce *Neumann.* Nostro quidem tempore duce *Kiwisch* medici magis magisque arbitrantur, maniam puerperalem nullam esse singularem formam, sed hanc quavis in alia muliere eodem modo posse oriri atque erumpere ac in puerperis, sed ipsum statum et diathesin puerperalem, quibus non solum genitalia sed totum feminae corpus sit affectum, gravissimam mentis alienationum efficere praedispositionem, ita ut causae perexiguae, quae interdum vix reperiri possint, morbo erumpenti sufficiant. —

Magna sunt *Kiwischi* merita, qui insaniam

symptomaticam a reliquis disiunxit, i. e. mentis alienationes quales quovis in morbo acuto febri coniuncto cum vehemente sanguinis congestione ad cerebrum ortae observantur, ideoque etiam febribus in puerperalibus — verbo si uti licet — interdum inveniuntur. Huic generi etiam parturientium deliria adnumerat, exorta magna commotione, quae toti comitatur partui, quum partes praecipue irritentur magna nervorum copia instructae, ut uteri orificium et pudendi rima; quam sententiam haud rectam esse, infra demonstrabimus. Porro aliud delirii symptomatici genus proposuit, effectum anaemia haemorrhagia quadam. Attamen fere solus est, qui deliria furibunda hac ex causa exorta se observasse contendit, nihilominus minime hoc negligendum videtur, quum *Kiwischium* clarissimum errasse observantem difficile suspicari possemus.

Friedr. Berndt jun. — de puerperarum morbis, quo in libro fere omnia usque ad illud tempus tradita sunt composita — fortasse haud bene disposita, quatuor genera mentis alienationum, quae in puerperis observantur, proponit: 1) Mentis alienationem, qua fortuito magis puerperae afficiuntur; 2) symptomaticam; 3) ipso partu commotam; 4) statu puerperali ipso exortam, maniam puerperalem stricte sic dictam. Secundo de genere iam supra verba feci, tertio de genere infra longius disserem, hoc loco solum primum ac quartum genus accuratius respiciendum videtur et quod iam antea commemoravi, iam defi-

nite dicendum est: equidem utraque haec genera non diversa habeo, sed etiam quartum illud, quod *Berndt* proposuit mentis alienationum genus, eas censeo, quibus fortuito magis puerperae afficiuntur. In universum contendit *Berndt* illas excitationis cuiusdam signis esse praeditas et primum semper maniae vel monomaniae sub forma prodire, postea modo chronicam si transeant in formam, saepe in melancholiam mutari.

Cui opinioni observata repugnant a *Meissner* allata *Thortsoni*, [1]) *Buschi* [2]) aliorumque, qui saepius etiam melancholiam puerperarum sub initio exortam observaverunt.

Deinde *Berndt* quatuor signa pathognomonica affert: primum rationem causalem, quae inter mentis alienationem et diathesin puerperalem intercedat, alia si causa non exstet. Hac in re *Berndt* ita mihi concludere videtur, nullam in puerpera insaniae causam inveni, ergo nulla adest. —

Hoc iam falsum equidem concludere malim, nulla si causa invenit medicus, nulla est inventa; sed inter nulla inventa est et nulla adest, multum interest. Multorum morborum causam non solum psychicorum medicus peritissimus et accuratissimus reperire non potest, nihilominus causa quaedam certe adest.

1) Medic. Zeitschr. v. Verein für Heilkunde in Preussen. Berlin 1844. Nr. 32.

2) Neue Zeitschrift für Geburtskunde. No. 2.

Porro ita concludit: nullam in puerpera morbi causam reperi, ergo diathesis puerperalis ipsa morbi est causa. Itaque contendit, puerperarum insaniam diathesi puerperali ipsa exortam exstare et deinde signum harum pathognomonicum affert, quod nulla alia causa adsit; — vel potius reperi possit. Hoc mihi videtur circulus vitiosus.

Signum alterum id est, quod puerperarum mania semper cum excitatione quadam sit coniuncta; attamen iam supra aliorum ex observationibus demonstravimus, non semper cum illa esse coniunctam, sed interdum etiam puerperarum melancholiam esse observatam.

Tertio loco contendit, maniam semper cum excitatione genitali esse coniunctam. Hoc signum *Berndt* praecipue maximi habet momenti valdeque quaeritur, quod multis a medicis fere omnino sit neglectum sententiamque *Neumanni, Roeschi, Pfeuferi, Dorfmuelleri, de Sieboldi, Kiwischi* observatis firmare studet, qui omnes talis excitationis mentionem faciant omnesque commemorent, aegrotas obscoenis affectas deliriis non solum talia dixisse, sed etiam egisse. Sub fine contendit, signum hoc maniam puerperalem nunquam omnino deficere, interdum fere singulis modo momentis et quam occultissimis praestare, iis fortasse in casibus, quibus aegrotae non plane exierint de mentis potestate et talibus cogitationibus instantibus repugnent.

Hoc signum variis a medicis observatum esse, id quidem constat, nihilominus signum pathognomonicum haberi nequit, quoniam casibus

permultis non est observatum. Sic *Meissner,* duodecim qui casus vidit, nil de hoc commemorat, concedit, tales cogitationes obscoenas partibus genitalibus quodammodo incitatis exstare posse, minime vero ea ad morbi naturam pertinere dicit. Fere eadem *Kiwisch* tradidit, qui affert, maniam puerperalem interdum nymphomaniae signa prae se ferre.

Quartum denique signum gravissimum affert *Berndt,* quod mania coniuncta sit cum morbo quodam locali diathesi puerperale provocata. Hic certe casus illi negligendi sunt, quibus morbus localis ita gravis est, ut maniam hoc solo exortam habeamus necesse sit, tum enim ad illud genus pertinent, quod *Kiwisch* primus proposuit et *Berndt* ipse accepit, deliriorum symptomaticorum. Sed affectiones illae leviores esse debent, inter quas praecipue turbata lactis secretio et fluxus lochiorum afflictus numeratur. His omnibus antiqua illa de febribus puerperalibus doctrina in memoriam revocatur, medici quum longum per tempus duas separati essent in turbas, quorum alteri Hippocrate duce usque ad *Stahl, Smellie, Heister* lochiorum anomaliam, alteri a *Mercuriale, Schenk, Puzos* usque ad *Hecker* et *Wenzel* turbatam lactis secretionem morbi habuissent causam. Affectiones illae locales leves sint necesse est, et quoties tales in puerperis obveniant sine ullo mentis alienatae vestigio, nullum medicum, artem qui exercet obstetriciam, fugiet. Uno verbo his omnibus non sumus convicti et nunc quoque perpuerarum mentis alienationes sola dia-

thesi puerperali provocatas negamus, hanc tantum praedispositionem habemus gravissimam, ita ut causa proxima — deliriis symptomaticis omissis — perexigua, quae saepe vix reperiri possit, insaniae excitandae sufficiat.

Quod attinet ad prognosin, bona est, *Kiwisch* tradit, inter quinque aegrotas quatuor sanari; prognosis magis infausta est, dispositio si hereditate accepta adest. Sanitatem saepe post horas, post dies aegrotae recuperant, maxima ex parte primas inter quatuor hebdomades, interdum vero post annos; morbumque redire saepius observant. —

De therapia id modo afferam, quod medico necesse sit, caute et opio et venae sectione uti, morbo ut cuivis alii mentis alienationi curare; qua chronica facta, aegrotae optime nosocomio psychiatrico traduntur.

M— *E*— viginti septem annos nata, multipara, ex matris, quae ipsa iam dudum mortua est, narrationibus cognovit, se, quinque fere annos natam, morbo fuisse correptam, quem „Halsbräune," nominat, cuius de decursu nil accuratius afferre potest; id solum bene affirmat, se semel tantum illo morbo laborasse. Pater iam pridem defunctus est, quem hominem magnum et gracilem, capillis flavis et contortis ornatum fuisse reminiscitur. Subito mortuus est, postquam quinque modo dies aegrotavit. Parentes bene concordes vixisse, nec patrem potatorem fuisse,

mulier narrat. Quatuordecim annos nata, paschali fere tempore, octo per hebdomades se iterum morbo laborasse refert, quem „Kopfrose“ dicit. Eodem vero tempore homines multi in vico paterno simili modo laborabant, ipsa, capitis doloribus, quam vehementissimis, vexata, valde emaciata est, capillique postea defluxerunt, quibus ex omnibus concludere possumus, morbum illum fuisse Typhum, quem tempore annonae sterilitate insigni in silva Thuringica, eius patria, grassari bene scimus. Eodem morbo est mater mortua, triginta quinque annos nata, quae mercenaria nullo modo singularis fuisse filiae ex narrationibus videtur. —

Matre mortua, tribus cum fratribus in domo paterna habitabat, qui manuum mercede vitam tollerabant, minime erant ebriosi, quorum duo uxores duxerunt, ex quibus liberos sanos procreaverunt. Unum modo annum cum illis una vixit. Postea operas suas materterae cuidam locavit, cuius infanti curavit laboribusque domesticis simul occupata. Indulgenter ibi habebatur, saepius spatiabatur, reliquis cum puellis amicitiam colebat, uno verbo: puellarum rusticarum modo sese habebat. Septendecim annos nata, lumbagine gravi aliisque variis molestiis laborabat, quam ob causam ab medico consilium petiit, qui herbarum infusum bibendum commendavit. Quo medicamento quum aegrota octo per dies usa esset, menstrua prima apparuerunt, molestiaeque omnes evanuerunt. Menstruis abinde, excepta graviditate, semper rectis fungebatur, sanguis duos

modo per dies, sed large profluxit anteaque lumbagine vexabatur, quam quasi praesagium certum habere potuit.

Magis adulta materteram reliquit puella et in oppidum migravit, ubi operas suas denuo locavit laboribusque domesticis erat occupata, familiae vero liberis alia curavit ancilla, quacum rixata duos post annos abiit. Parvum venit in praedium, ubi simul cauponabatur, quo praecipue solis die multi ex propinquo hospites convenerunt. Mulier ibi textoris cuiusdam familiaritate usa est, ex quo tunc primum concepit. Graviditate nullo modo impedita videtur, nam quinque vel sex tantum hebdomades antequam peperit, discessit, dominam adeo optasse dicit, ut ipsa diutius remaneret; quaerentibus nobis, nonne gravida fuerit segnis atque morosa, respondit: minime, fortasse alacrior eram. Feliciter peperit in domo paterna, ubi tunc frater cum uxore habitabat. Gravibus per diem occupata laboribus vespere horam circa octavam domum reversa, mox primum sensit dolorem et hora una post iam filio gavisa est, cui praevio capite partu edito et secundam obstetricis sententiam maturo, totum fere per annum mater praebuit mammam. Nihil omnino intra partum accidisse dicit puerperae lectum iam paucos post dies reliquit et bene valuit. — Illum per annum rustica opera victum sibi comparavit, cum fratre raro tantum domi versato bene concors vixit, tantum cum fratria, quae eodem ac ipsa cibum coquens foco usa est, saepius rixabatur. Postea in vicum se contulit, ubi spon-

sus habitabat, ubi vero tres tantum per menses commorata est, quoniam sponsus octo modo dies aegrotus, subito mortuus est. —

Deinde in oppidum venit, nomine Opin, ancilla pecuaria, modico occupata labore reliquisque cum servis amicitia erat coniuncta; attamen quum uno anno praeterlapso nova in fundum reciperetur ancilla, dominandi quacum cupida, mox discors facta, discessit. Quod ad genitalium functiones attinet, menstrua iustis intervallis profluxerunt, quibus lumbago quaedam antecessit, quae ipsa sanguinis profluvio largo, sed duos modo per dies durante, evanuit. — In pagum nomine Worb ancilla rustici pecuaria se contulit, cuius uxor debilis omnibusfere membris erat capta. Filiae duae altera XX. altera XVII. a. domi quum versarentur modicis occupata laboribus, illis cum puellis et cum domina ipsa bene concors vixit; eique fere quarta quaque hebdomade saltatum ire licebat, qua re delectatam se fuisse affirmat. Tunc agasonis familiaritate et consuetudine usa est, quem hominem firmum, validum, temperantem esse dicit, quocum nunquam sit rixata. Mense Sextili anni praeteriti — 1855 — vico illo in parvo homines multi variolis laborabant et mulieris quoque paucos per dies levem et trahentem lumbaginem conquestae in facie idque in genis, nasi dorso, etiam utroque in brachio vesiculae rubra cinctae areola eruperunt, quae postea in pustulas transierunt. Quae quum nullas reliquissent cicatri-

ces, octo modo quum dies tum aegrotaret iisque lectum adeo conclave interdum relinqueret, iure concludere debemus, morbum illum non variolas fuisse, sed potius formam exanthematis quodammodo modificatam, quam varioloidem medici dicunt. Attamen id, quod bene notandum primos per tres dies aegrota iam post meridiem nimio capitis dolore omniumque partium ardore vexata nocte vehementer deliravit, ita ut custodiretur necesse esset. Contendit enim, se feles videre, quas abigere voluit, quam ob causam lectum relinquere tentavit. Mane omnium, quae dixit et fecit minime recordata, magnam sensit imbecillitatem, sed paucas quum horas requievisset, satis erat refecta et recreata. Hunc post morbum menstrua bis terve profluxerunt lumbagine ut antea leve praecedente. Gravida est facta et nunc quoque valetudine nullo modo turbata laboribus bene curare potuit, primo tempore voluptatibus quoque solito more fruebatur. Iurgia atque rixas minime commemorat. —

Die XXIV. mensis Maii nomen dedit mulier, quae in Clinicum obstetr. Hallense reciperetur, sed scabie infecta antea in nosocomium publicum missa est, unde solitis remediis sanata, Calendis Iunii rediit. Quatuordecim fere post dies accuratiore instituta exploratione obstetritia praeter ea supra iam commemorata, quae ex mulieris narratione patent, haec sunt inventa: Abdominis

tegumenta communia digitis investigantibus satis restiterunt et praecipue infra umbilicum striis singulis cicatricibus similibus erant insignia quae et tactu et visu sentiri potuerunt. Ipse umbilicus bullae fere instar prominuit et paulum infra cordis scrobiculum uteri fundus distincte digitorum percussione dignosci, itemque supra dextro in latere parvae foetus partes sentiri potuerunt. Mammae bene erant formatae, lobis glandulae intumescentibus singulisque ductibus lactiferis praeditae. Mamillae satis prominuerunt, areola fusca, papillis quibusdam — a Montgomery primo observatis — erat distincta, colostrumque, quod dicitur, exprimi potuit. Sinistro in latere iuxta umbilicum soni foetus in corde exorti, distincte sunt auditi, itemque dextro in latere et infra strepitus, qui placentae vasis effici dicitur. Baudelocquii instrumento, quod dicitur, „Compas d'épaisseur" pelvis coniugata 4½ pollicum Par. est definita. Quum per vaginam exploraretur, pelvis magis inclinata reperta est, uteri orificium retro sursumque versum ita erat apertum, ut indicis apex facile immitti posset, parteque in anteriore angulum praebuit, primo fortasse partu exortum; uteri collum durior modo annulus molle in segmento inferiore tactu est perceptum.

Foetus pars maior duriorque obiacens reperta est, adhuc mobilis. —

Die quarto mensis Sextilis septima hora vespere mulier primum sensit dolorem, quem vocant ad partum; quibus affecta, gradibus per conclave magnis ambulabat nec nimium dolorem

conquerebatur. Exploratione instituta interna, uteri orificium oboli magnitudine patefactum repertum est nec per hoc nec anteriore in pelvis latere pars foetus proiacens digito attigi potuit; inter dolorem ovi velamenta bene sunt intensa. Itaque se contulit in lectum iustisque uteri contractionibus orificium decimam circa horam thaleri magnitudinem nactum circa quintam posteri diei horam plane erat patefactum, ovi velamenta optime sunt tensa inter dolores, extra quos dextro in ramo horizontali ossis pubis maior et durior foetus pars digito attigi potuit, quae per ventris quoque integumenta ibidem tactu sentiri potuit. Hoc loco dum leniter inprimebatur, inter dolorem ovi velamenta digito perrupta sunt, caput prima in positione fonticulo minore ad sinistrum verso in pelvim intravit et sequente uteri contractione est fixum. Solito deinde more pelvim permeavit et hora fere praeterlapsa in exitu erat positum promptum quod excederet. Capitis tumor quum iam pudendi rimam penetrasset, subito mulier exclamavit: Ecce adest pater meus! Interea facies haud mutata visa est, fortasse pallidior, caput minime ardens, pulsus non magis frequens, carotides arteriae non palpitabant, oculi quodammodo obstupefactae, vox mutata debilior quasi attonitae erat. Quum interrogaretur, ubinam esset pater, oculis semper in unum conclavis angulum fixis, respondit „ibi!“ et admonita, ut digito patrem demonstraret, laxam manum idem ad latus versam paulo sustulit. Sequentes inter dolores viribus auxiliaris non satis usa, erat quieta

eiusque facies nullum prae se tulit moliminis signum; doloribus cessantibus semper de patre locuta est parturiens. Caput quum iam partu esset editum, levi sub axilla sinistra tractu truncus est expeditus, quod respirationis motus iam inciperentur. Infans dum est lavata et vestita, puerpera oculis semiclausis nullumque edens verbum, quiete iacuit; placenta sponte est remota, nec ullo signo mulier demonstravit, hoc se percepisse. Infans, filia, pondus octo librarum habuit, longa erat XX. pollicis, capitis diametri ei erant $3^3/_4$, $4^3/_4$, $5^1/_4$ poll. mens. Par. Sanguis profluxit nullus, uterus firme erat contractus. Placenta cum ovi velamentis plane erat remota ideoque mulier puerperae in lectum asportanda est visa. Monita ut gestoris collum brachiis amplecteretur, motu laxo segnique id fecit. In lectum deposita protinus clausit oculos, pulsus erat tranquillus, bene spirabat et indormivisse est visa. Hora dimidia denuo quum visitaretur, statu iacuit eodem, sed nomine appellata expergefacta est et quum quaereretur, nonne se peperisse sciret, oculis in lectulum iuxta positum conversis, respondit: bene scio. Accuratius quum interrogaretur, haec fere tradidit: Ultimo tempore parturienti re quadam cor quasi comprimi visum est infandoque dolore correptae oculi caligaverunt. Subito ei pater adstare apparuit, et quendam quasi dicentem audivit: Ecce patrem! Miro eodem sensu animique defectu puerperae in lectum deposita iterum est affecta. Statim vero mentis plane non compos indormivisse videtur.

Omnes, qui eam parturientem circumsteterunt, non vidit omniumque, quae circa sunt acta, minime est recordata, dolores, qui quum infans pudendi rimam penetraret, excitati sunt, nullo modo sensit, medicos praesentes cum ipsa de hallucinationibus esse locutos animumque in illas vertisse, omnino nesciit. Id tantum meminit, se esse admonitam, ut medicum, cui puerpera proprium in lectum erat asportanda, amplecteretur. Iam vero plane valuit, nec capitis nec abdominis ullum conquesta est dolorem; exigua sanguinis copia profluxit. Sequentes etiam dies bene valuit, lochia, quae dicuntur, recte fluxerunt, lac et bonum et largum mammae secreverunt, infans quoque optima fructa est valetudine, quacum mater nono die post partum institutum obstetricium relinquere potuit. Denique paucis verbis commemoranda videntur, quae praeterea observata sunt, quamdiu mulier in instituto est versata. Omnes eam designant, quam vetulam dicimus malam et rixosam, lingua praeditam proterva. De partu nullo modo erat anxia adeo impatiens interdum, quod ille non tam erat propinquus, quam ex sua ratione expectaverat. Parturiens ipsa patiens erat et obsequens, gravioribus de doloribus non conquesta. —

His traditis, primo mihi considerandum videtur, num omnia recta sunt observata. Id quidem nemo dubitabit, ea quae supra inter partum observata narrata sunt, re vera spectatoribus ita se

praebuisse, quaestio fortasse moveri potest, utrum mulier re vera sit hallucinata, an omnia simulasset, quae quaestio similibus in casibus certe minime negligenda erit. Attamen quaeso, quam mulier habuit simulationis causam, cuius ne umbra quidem inveniri potest. Sin autem fanaticarum feminarum hystericarum modo omnia fecisset, eam solam ob causam, ut animos moveret magisque coleretur, etiamsi de muliere isto ordine conditioneque, qua erat, suspicari possumus, certe morbum non elegisset, quem simularet, quem minime novit, coloribnsque, ut ita dicam, fortioribus esset usa nec leve tantum tentamen sumsisset, nullo modo aptum, quod vel misericordiam vel admirationem commoveret. —

Tota mulieris ex vita causa mentis valetudinis propria inveniri mihi non videtur. Dispositio quaedam hereditate accepta minime demonstrari potest, morbo acquisitam, fortasse ex typho, quo ante hos 13 annos laboravit, suspicari possis, certe enim post hunc observatur dementia paralytica, quae dicitur, attamen hoc in casu talem adesse dispositionem credere nolim, quae tot per annos nullo se ostendisset signo, quamquam occasio proxima, quae nunc excitavit eam, partum dico, antea iam praeteriit, idque sine ullo affectu. Itaque morbi dispositio investiganda videtur, orta duos intra graviditates, miraque illa cerebri affectio, qua laboravit, quum varioloide anno superiore aegrotaret, nobis in mentem venire posset. Quamquam vero ipse affectionem illam miram ac notabilem appellavi, nihilominus illa atque haec,

quae in parturiente sunt observata, arcto inter se iuncta esse connexu minime credo. Illa enim erant deliria, quae dicuntur febrilia, quo quovis morbo in acuto interdum observantur, nocte exacerbata et mane remissa sunt, quod tempus plerumque pulsu magis frequente est insigne. Cerebrum aucto sanguinis incursu irritatum est, quae magis accelerata sanguinis circulatio in aegroto exanthemate acuto affecto nil est, de quo miremur. Id modo mirum videtur, quod tam vehementi cum febri pustulae modo paucae eruperunt; fortasse quis suspicari posset ipsa febris in evolutionis stadio vehementia morbum se ipsum fregisse et decurtasse, qui casus quidem rarissimus, interdum observatur (Schoenlein Pathol. u. Therap. II. 259).

Eodem etiam iure, quo medici febrem scarlatinam sine exanthemate ponunt, hoc in casu febrem variolosam sine exanthemate vel potius exanthemate cum exiguo proponere possumus. Utrumque iis, quae mulier narravit, bene firmatur, lue illo tempore homines multi erant affecti, gravissimi tres morbi dies simul erant primi et ipso in primo stadio irritationis vel evolutionis quod dicitur, febrem esse vehementissimam, bene scimus. Mentis alienationis forma, id quod negligendum videtur, quoniam interea potuit modificari, tum erat alia, deliria erant febrilia, non nisi symptomatica, sanguinis ad caput congestione orta, quae cum mentis alienatione a nobis observata nullo modo componenda et coniungenda videntur. Illo morbo reliquus mulieris animus,

minime est turbatus. Postea enim erat ut antea, ea, quae in Clinic. obstetr. apparuit mulier rixosa, lingua praedita proterva. Iurgia enim fuisse, quam ob causam negotiis solveretur atque dimitteretur, ex vita supra narrata satis constat. —

Itaque quaestio movenda videtur, num partus fortasse ita contra regulas decurrerit ut causa omnium, quae sunt observata, in hoc sit inquirenda. Certe primus partus spatium — si *Hohlii* distributionem accipimus — paulo diutius duravit et eatenus a regula discessit, quod foetus caput dextro ramo horizontali ossis pubis adniteretur. Postquam vero ovi velamenta sunt perrupta, caput in pelvim intravit, ita partus decurrit, ut in multipara erat expectandum; et hoc ipso in tempore hallucinationes sunt observatae: virium defectio, animus alienatus, quae conditio singulis modo momentis a nobis dirimi potuit. —

Iam saepius parturiente in muliere observata hallucinationum nomine significavimus et optimo certe iure, nam ex Esquiroli definitione hallucinationibus is est affectus, qui de re quadam sensu percepta firme sibi persuasum habet, quae quidem res re vera sensibus non est praesto. Earum sedes sensibilitatis est centrum et cerebro quodammodo incitato vel sponte moto proferuntur. Homo hallucinationibus affectus is est, cui facta sua imputari non possunt, quanquam *Mittermayer* [1]) et *Jarcke* [2]) contrarium contenderunt,

---

[1]) *Mittermayer:* Disquisitio de alienationibus mentis quatenus ad ius criminale spectant. Heidelbrg. 1820.

[2]) *Jarcke:* Die Lehre v. d. Zurechnung durch unfreie Gemüthsstimmung. Berlin 1819.

quis enim rem sensibus percepisse sibi persuasum est, quae sensibus non est praesto, recta rerum relationis diiudicatione privatus est, quoniam omnia externa solis sensibus percipimus; eaque sub conditione agenti mente capto ac vincto ipsa acta minime imputari possunt. Etiamsi legislatores varios mentis turbati gradus proposuissent, medicus eos agnoscere nequit, ei omni in casu, quaestio diiudicanda est, utrum homo, tempore, quo quid fecerit, mentis suae compos fuerit, liberoque instructus arbitrio egerit nec ne. Etiam *Hellfeldt* [1]) dicit: „Cum delictum sit factum contra leges susceptum, sequitur, ut illi solum delictorum capaces sint, qui contra leges agere queunt. Iam vero leges ad eas solum spectant actiones, quae praelucente intellectu et decernente voluntate fiunt. Ergo is solum contra legem agere sicque delinquere possunt, quae praelucente intellectu et decernente voluntate agunt.“

Homini vero hallucinationibus capto intellectum praeluxisse agenti nemo contendet. —

Ea, quae ex observatis supra traditis, concludere velim, his fere constant: Mulieres dum parturiunt nulla vel corporis vel mentis dispositione cognita praeditae sine ulla singulari partus decursu interdum delirant nec mentis compotes sunt, qua sub conditione eae sunt quibus acta imputari non possunt.

Hac cum conclusione *Friedreichi* [2]) senten-

---

[1]) Iurisprud. forens. cura. Oeltze 1792.

[2]) Handbuch der gerichtl. ärztlichen Praxis: Regensbg. 1843.

tia bene convenit, magis fortasse propensi, qui homines factorum imputatione liberaret, minus convenit cum *L. Krahmeri* [1]) sententia, qui raras tantum parturientes ex sanguinis ad caput congestione furore uterino, Ecclampsia part., Apoplexia affici contendit, exstare quoque leviores cerebri mutationes, fugaci cum concitatione, infirmitate, animique deliquio coniunctas, medicum vero perraro tantum esse impulsum, qui talia respiciat.

Animi deliquia sanguinis ex profluviis orta commemorat, postremoque contendit, partus secundinarumque decursu non magnopere a norma discedente medicum nunquam mulierem usque ad partum mentis compotem, postea mente captam, animique deliquio correptam fuisse. Puerperae, quae, quamquam celere et feliciter peperit, infante de neonato, si nihil scire contendat, quod animi deliquio affecta fuerit, nullam medicos de arte obstetriciae peritos fidem esse habituros, addit. Nihilominus non possum, quin ea, quae ex observatis conclusi omni ex parte defendam.

Etiam *Friedreich* similes nonnullas casus affert, praecipue a Montgommery observatos.

Si quis commemorat, quantum medici forensis casus tales interesse deberent, simul plerumque eos esse rarissimos affert.

Sic etiam Scanzoni (*Kiwisch* Frauenkrankheiten III.) dicit, se inter decem partuum milia, quatuor tantum parturientium delirium observasse. Attamen mihi ipsis in casibus illis, qui iudicio

---

1) Handbuch der gerichtl. Medicin §. 170.

arcessuntur et in forum proveniunt, mentis turbationes animique deliquia multo saepius inveniri videntur, si omnino animi motus et affectiones causam habere debemus, qua mentis valetudo saepius profligari possit, id quod medicos inter omnes psychiatros satis constat. Qua enim animi concitatione affecta erit puella, quae extra matrimonium gravida omnes feminae artes intendit, suam ut conditionem oculis hominum curiosis occultaret, quae etsi hoc ei non contigerit optima tamen spe tenetur, homines mutatam corporis conditionem vel omnino non cognovisse, vel causae alii tribuisse. Si vero partus hora instat, testis si vivus gremio matris iam discessurus, artes, quibus usa est, omnes falaces mendacesque redditurus, ipsamque ignominiae ludibrioque traditurus totam evertet vitam; quam facile scelesta sollicitata erit cogitatione nefarioque excitata stimulo, ut infante neonato, testo illo vivo, remoto, quodque facti vestigium deleat.

Hanc praeter animi concitationem corporis minime negligenda; videtur quisque partus, etiamsi nullo modo norma decedit, praecipue primiparae exsecrationem illam divinam invictam rectamque praebet: Doloribus parito liberos. Saepe me feminas constantes partus doloribus affectas exclamantes memini audivisse: Vae mihi miserae, o sim mortua.

Res longe aliter se habet, si mulieres in instituto obstetricio quodam parturientes observantur, quarum nihil interest, ut conditio occultaretur, quae necessitate et inevitabili, ut ita dicam,

fato se subiecerunt. Quum se pecasse concederent, omne solutum est certamen, honorem amissum habent; liberali hominum diiudicatione nituntur, conditionem suam partu peracto non valde mutari vitamque eo non magis turbari, bene sciunt, quum homines se gravidam esse noverint. Tales parturientes corporis modo valetudine affliguntur, ideoque medicos institutis illis in obstetriciis experientia edoctos contendant, parturientium deliria gravibus tantum et a norma decedentibus in partibus observari, necesse est.

Nos autem his omnibus bene consideratis fortasse miramur, quod illis in institutis omnino observantur deliria, minime vero quod rara sint. — Conferas etiam quae *Hohlius* libro citato quam praeclarissime exposuit pag. 528—33.

Quod attinet ad mentis alienationis formam, quae in parturientibus exstant, *Scanzoni* haec fere affert:

Meist schon in den letzten Momenten der Geburt, während der stürmischen mit Congestion zum Gehirn verbundenen Erschütterung des ganzen Körpers, treten einzelne Vorläufer der Delirien in die Erscheinung. Die im höchsten Grade aufgeregte und von Schweiss triefende Kreissende, die noch vor Kurzem unter Jammern und Wehklagen an der Möglichkeit einer glücklichen Beendigung der Geburt zweifelte, wird plötzlich ungeberdig, scheint sich zusammen zu raffen, und verlangt gebieterisch mit Hintansetzung aller Rücksichten für das Kind von ihren Qualen befreit zu werden. Wild rollt

das Auge, heftig pulsiren die Carotiden, mit einem unheimlichen Ausdrucke des gerötheten Gesichts schlägt sie mit geballter Faust nach den Umstehenden, knirscht mit den Zähnen und weder besänftigende noch strenge Worte sind im Stande ihrem excessiven Benehmen Einhalt zu thun. Ist endlich ein Theil des Kindes durch die Schamspalte getreten, so gewahrt man nicht selten, dass die Kreissende ausser sich in Folge des noch immer nicht enden wollenden Schmerzes mit beiden Händen nach dem geborenen Kindestheile hinfährt, um diesen zu erfassen und als Handhabe für die gewaltsame Hervorzerrung der noch in den Genitalien befindlichen Theile zu benutzen. Dass in diesem Augenblicke, falls die Umgebung nicht schützend dazwischen tritt, das Leben des Kindes gefährdet ist, bedarf wohl keiner Erwähnung.

Hac cum descriptione a *Scanzoni* allata ea bene conveniunt, quae et alii medici observaverunt, etiam Ill. *Hohl* casum talem in clinico obstetricio Halensi vidit et alio loco descripsit, nec minus *Jörg*, [1]) nonnullique alii. —

Haec igitur forma frequentissima videtur et quamquam diligentissime libros perscrutatus sim, quos auctores varii eadem de re conscripserunt, nusquam casum commemoratum inveni, qui omni ex parte cum nostro convenerit. Maxime similes ei soli videntur, quos *Montgomery* [2]) tradidit, qui

---

[1]) *Jörg* Zurechnungsfähigkeit der Schwangern u. Gebärenden. Leipzig 1857.

[2]) Dubl. Journal 1834, Vol. V. Nr. 1.

refert, se partu omnino secundum normam decurrente interdum deliria transeuntia observasse, breve tantum tempus durantia et ita exigue sensus moventia, ut facile negligi et omitti possent, nihilominus vero medico forensi maximi essent momenti. Narrat, parturientem pedem nudum e lecto porrexisse et petiisse, ut caliga ei exueretur etc.

In casu a nobis observato, primo fortasse qui tam accurate descriptus est, exaltatio omnino non aderat, sed solae hallucinationes sine ulla alia mentis alienatione. Primum fortasse morbi psychici stadium appellare possis; scimus enim homines maniacos multos longum per temporis spatium, per annos interdum hallucinationibus esse affectos et vexatos, antequam mania ipsa erupuit. Supra quum iam exposuissem solis etiam hallucinationibus hominis conditionem ita esse mutatam, ut libero arbitrio sit privatus eumque esse demonstrassem, cui facta imputari non possent, iam sub fine non possum, quin repetam conclusionem, quam supra ex observatis collegerim:

Mulieres dum parturiunt nulla vel corporis vel mentis dispositione praeditae, ulla sine singulari partus decursu interdum delirant nec mentis compotes sunt, qua sub conditione eae sunt, quibus acta imputari non possunt. —

VITA.

Natus ego sum *Felix Becker*, Billerbeckiae, die XXV. Decembr. a. h. s. XXX. patre Iosepho, Dr. med. pract., matre Elisabetha, e gente *Frohning*, quos ambos ante iam multos annos mihi ereptos lugeo. Fidei addictus sum catholicae.

Primis literarum elementis domi imbutus, unum per annum Gymnasium Coesfeldiense tum Monasteriense in seminarium Heerdenianum, directore Ill. *Bisping* valde florens, receptus, Gymnasium ibidem per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus almam literarum academiam Herbipolitanam petii, ubi duo per annos sum versatus. Tum in universitatem Halensem me contuli ubi ab Ill. *Leo* rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus, nomen dedi apud Ill. *Blasium* Decanum ordinis gratiosi medicorum.

Ibidem unum per annum versatus sum et deinde per semestre unum almam literarum universitatem Berolinensem petii, unde hos ante sex menses Halas reversus sum.

Per quatuor annos, quibus in universitatibus studiis incubui his interfui scholis.

Herbipolae: Ill. *Scheerer* de chemia anorganica et organica. Ill. *Schenk* de botanice. Ill. *Meier* de psychologia. Ill. *Narr* de encyclopaedia. Ill. *Kölliker* de anatomia generali, speciali et comparata, de physiologia et cadavera rite secandi artem me docuit. Ill. *Müller* de osteologia. Ill. *Leydig* de histologia, Ill. *Virchow* de pathologia et therapia universali, una cum anatomia pathologica, de morbis congenitis. Ill. *Friedreich* de pathologia et therapia speciali idem dux mihi fuit in cursu practico de diagnosi physicali. Ill. *Rinecker* de Pharmacologia et infantum morbis. Ill. *Scanzoni* de arte obstetricia. Beat. *Morawek* de chirurgia. Ill. *de Textor* de instrumentis chirurgicis. — Berolini: Ill. *Busch* de operationibus obstetriciis. Ill. *Ebert* de infantum morbis. Ill. *Mitscherlich* de Pharmacologia. — Halis: Ill. *Erdmann* de logice. Ill. *Knoblauch* de physice. Ill. *Girard* de mineralogia. Ill. *Reil* de morbis syphiliticis. Ill. *Krahmer* repetitorium pharmacologicum. Ill. *Volkmann* de nervorum physiologia. Ill. *Blasius* de arte vulnera sanandi et akiurgia. Ill. *Schultze* de anatomia pathologica et osteologia. In scholis clinicis et Berolinensibus et Halensibus duces illustrissimi mihi fuerunt: In clinicis medicis Ill. *Krukenberg, Vogel,* in chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. *Blasius,* in obstetriciis Ill. *Busch, Hohl.*

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo quam maximas semperque habebo.

Iam vero tentamine tam philosophico quam medico examineque rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Febrem typhosam curandi ratio exspectativa sola est probabilis.

II.

Non omnes, quas recentiores proposuerunt abortus artificialis indicationes, probandae.

III.

Syphilis quem correpit, is nunquam certe sanatus haberi potest.